



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117794**

§. 37. Eutropii Casus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](#)

dictæ desiderium expleret contra Timæ-Sæculum IV.  
 sum, celeberrimum belli Ducem, qui ipso A. C. 399.  
 instigante damnatus, & in deserto Oasis *Soz. VIII.*  
 exulare jussus fuerat, ubi & vitam clau- c. 7.  
 sit; nam cum Timasi uxori Pentadia ad  
 Ecclesiam confugisset, hanc legem publi-  
 cari mandavit, qua non solum prohibe-  
 batur, ne quis imposterum illuc confuge-  
 ret, sed etiam illi, qui ibi isto jam tempo-  
 re detinebantur, expelli jubebantur. Hæc  
 lex occasione suisse videtur Concilio Car- *To. I. Cone.*  
thaginiensi, 27. Aprilis anno 399. celebra-  
to, ex quo Episcopi duo, Epigonus, &  
p. 1642.  
 Vincentius legationem in se suscepserunt,  
 ab Imperatore legem impetraturi, ne li-  
 ceret ex Ecclesiis reos afferre, qui, ut  
 poenæ criminibus debitas effugerent, il-  
 luc se receperissent.

### §. XXXVII.

#### *Eutropii Casus.*

**N**econdum a promulgatione hujus legis  
 sex menses effluxerant, cum illius  
 auctor Eutropius eandem transgredi com-  
 pulsus est. Is supremum potentiae api-  
 cem attigerat. Patritii Dignitate fulge-  
 bat, atque effecit, ut Consul in Oriente  
 anno 399. cum Collega Theodoro in Oc-  
 cidente proclamaretur; exemplum erat  
 novum sine exemplo, quod aliquando spa-  
 do Consul esset. Divitias possidebat im-  
 mensas, atque in dies accessione bono-  
 rum

Sæculum IV.rum illorum, qui damnabantur, & off.  
A. C. 399. ciorum omnium venditione crescebat

Tandem Gainas, Dux belli, Gothus na-  
tione, qui exercitibus præerat, semivin-  
arrogantiam non tulit. Ergo occultis ar-  
tibus Tribigildum, propinquum suum, ex-  
citat, ut Phrygiam vicinasque provincias  
depopularetur, sicque Imperator Arc-  
dius, a Gaina proditus, pacem emere  
*Zosim. lib. 5. p. 793. Soz. VIII. c. 7. Philost. II. c. 6.*

coactus est Eutropii sanguine, quod ho-  
mo unus omnium in Imperio malorum  
causa existeret. Ajunt etiam, eosque  
Evnuchi insolentiam creuisse, ut Impera-  
tricem Eudoxiam in faciem offendere non  
pertimuerit, minatus, eam Regia ejicien-  
dam, quæ cum apud Imperatorem mulie-  
bribus lacrymis contumeliam deflevisset,  
hoc demum ariete commotum Arcadii  
animum, ut in Eutropii exitium conser-  
tiret.

Eutropius in extremis angustiis ad Ec-  
clesiam confugit, ut vitam salvaret, at-  
que S. Chrysostomus trepidantem vi ra-  
pere volentibus generosum pectus oppo-  
suit. Imo, occasione arrepta, orationem  
ad populum pronuntiavit, maxima enim  
multitudo ad insolitum spectaculum ac-  
*Orat. in Eut. Tom. VIII. p. 67. Tom. 4. p. 481.* currerat. In Exordio S. Chrysostomus re-  
rum humanarum vanitatem, & fortunæ,  
dum fraudulenter arridet, fragilitatem  
audientium animis repræsentat, atque ad  
Eutropium conversus, dicit: *ubi sunt jam  
eorum*

eorum greges, qui tibi famulabantur? qui, Sæculum IV.  
cum in plateis incederes, populum arce- A. C. 399.  
bant, teque laudibus super astra tollebant?

Fugerunt, amicitiam negarunt, tua ruina  
propriam salutem querunt. Alia mens  
nobis est; ecce Ecclesia, quam persecutus  
es, sinum aperit, ut periclitantem recipiat!  
Et theatra tua, adeo dilecta, quæ tantis  
tibi impensis stetere, quorum causa toties  
nobis irascebaris, miserum prodidere! hæc  
non ideo affero, ut prostrato illudam, sed  
ut stantes ad cautelam admoneam. Tum  
de Eutropio loquens adjungit: heri, cum  
ex Regia advenirent, qui hinc nolentem vi  
avellerent, ad sacra vasa cucurrit, pallore  
similis mortuo, omnibus artubus tremens,  
voce interrupta, lingua balbutiente lo-  
quens. Tum auditores ad misericordiam  
hortatur, & sibi ipsi objicit: dicetis: hoc  
ipsum Asylum iste editis legibus occlusit.  
At jam, quam impie fecerit, propria ex-  
perientia docetur, omnium primus latam  
a se legem violavit, ejusque periculum om-  
nium Christianorum, Et Gentilium Doctri-  
na est. Sic Altare omnium animis sacrum  
terrorem, & reverentiam fortius inspi-  
rat, cum bunc leonem tenet ligatum; ima-  
go Principis est, qui devictos, captosque  
barbaros pede proculcat. Et inferius: an  
vestris animis lenitatem reddidi? an  
iram expuli? an crudelitatem extinxi? an  
misericordiam excitavi? ita profecto cre-

Hist. Eccles. Tom. V. I do,

Sæculum IV. do, id vultus vestri, & lacrymarum tor.  
 A. C. 399. rentes testantur. Eia ergo eamus! &  
Eutropius. pedibus Imperatoris advolvamur! aut po-  
 tius Deum Misericordiae obsecremus, ut  
 Cæsarem mitiget, & plenam concedat gra-  
 tiam! jam enim mutatus est Arcadii ani-  
 mus; cum audivisset Eutropium in hunc  
 locum Sacrum configuisse, & aulici omnes  
 Principis iram contra reum stimularem  
 peterentque sibi tradi, ut improbum jugi-  
 larent, miseri causam egit, lacrymas fu-  
 dit, & facta mentione de Sacra mensa, ad  
 quam fugisset, tumultuantum furorem  
 compescuit. Mitigato Principis animo,  
 an non vos omni gratia indignos redditis,  
 si irasci non cessatis? quo animo ad sacra  
 Mysteria accederetis, qua fronte peteretis  
 peccatorum vestrorum veniam? imo Deum  
 Misericordissimum obtestemur, ut miserum  
 a morte liberet, & spatum det, quo cri-  
 mina expiet. Id est, quo Baptismum ac-  
 cipiat, quippe Eutropius Infidelis erat.

Hæc oratio effectu non caruit, & S.

*De promis.* Chrysostomus tunc quidem Eutropio vi.  
*Dei apud* tam servavit; at non sine labore, non sine  
*Prosp. p. 3.* pugna id factum; in Ecclesiam cum ar-  
*c. 38.* Serm. in mis concursum, expediti gladii, S. Epis.  
*Psalm. 94.* copus in Regiam ductus, sermo, quem  
*Tom. 5. p.* coram populo dixerat, criminis vertebar-  
*100,* tur, mors denique intentabatur; sed ho-  
 rum nihil viri constantiam concutere va-  
 luit, Eutropium non reddidit, & ostendit,

dit, sicut ipse dicit, robur Ecclesiæ esse Sæculum IV.  
 invincibile, in oratione fundatum, illius A. C. 399.  
 nempe Ecclesiæ, subjungit: quæ non in Matth. 16.  
 loco, nec in muris, aut teetis, sed in moribus, 18,  
 legibusque consistit. Id est; illud,  
 quod ad sacrum Asylum confugientibus  
 securitatem præstaret, non esse portarum  
 & structuræ firmitatem, sed Religionis,  
 & Sanctitatis, qua Ministri ejus fulgerent,  
 reverentiam. Nihilominus captus est  
 Eutropius, sed sua imprudentia, cum Ecclesiæ ambitum esset egressus, damnatus,  
 & in exilium in insulam Cyprum, ut ibi  
 dies finiret, missus. Bona omnia fiscus  
 abstulit, ejus memoria omni honore pri-  
 vata, nomen ex fastis deletum, & isto  
 anno unius tantum Consulis nomen refe-  
 rebatur, nempe Theodori, probissimi viri,  
 Christiani, & docti, quem S. Augustinus, & Aug. I. de  
 Poeta Claudianus laudarunt. Condemna- ord. c. II. I.  
 tio Eutropii data legebatur decimo sexto Claud. de  
 Calendas Febr. Constantinopoli, Consu- Conf. Theod.  
 le Theodoro, id est, 17. Januarii anno lib. 17. C.  
 399. At Eutropium vivere Gainas non Theod. de  
 est passus; obtinuit, ut ex Cypro Calce- pœn. 28. Zof.  
 donem adduceretur, ubi, restaurato judi- l. 5. p. 794.  
 cio, capite truncatus est. Philost. X.  
 c. 6.

## §. XXXVIII.

S. Joannes Chrysostomus Clerum suum  
 reformat.

Non defuere, qui sermonem S. Chryso- Socr. VI.  
 stomi c. 13,